

S. p. Improbis iuxta prouerbium preter occasionem nihil deest. Tibi ad benefaciendum omnis arripitur occasio. Animus tuus iam olim perspectissimus erat, et cum strenula et sine strenula. Res nulla egebat celeritate. Poteras Hieronymo committere. Puer qui attulit, dedi tres batzones. Hospiti Anselmi precor omnia lete. 5

Bene vale. 27 die Decemb. 1532.

D. Bonifacio Amerbachio. Basileae.

2750. To JOHN FABER.

Copenhagen MS. G. K. S. 95 Fol., f. 162. <Freiburg.›

L. p. 93: N. p. 1070: Lond. xxvii. 8: LB. App. 426. <fin. 1532.›

[An autograph rough-draft. An approximate date can be assigned, as Erasmus enclosed in this letter a copy of More's letter of 14 June 1532 (Ep. 2659), which had been delayed some months before delivery.]

R. D. IOANNI FABRO EPISCOPO VIENNENSI ERASMVS ROT. S. D.

TANTANE celeritate isthuc vsque peruo lasse rumorem, clarissimum virum Thomam Morum iure submotum a munere Cancellarii, et in huius locum surrogatum alium nobilem, qui protinus liberos dimiserit, quos Morus ob contentiosa dogmata coniecerat in vincula. Homerus Ossam, Vergilius Famam toto corpore pennis ac 5 plumis subleuant, quo declarent illa nihil esse pernicius. At mihi tarda lenta que videtur omnis alarum celeritas, si ad huius rumoris derepente tam late diuagati velocitatem conferatur. Vix fulgor oxyus dimicat in omnem mundi partem. Quanquam autem hec fabula constanter per omnium ora volitabat, nec vllas e Britannia 10 litteras receperam (nam Thome Mori epistola, quam nunc ad te mitto, complures menses heserat in Saxonia), tamen sciebam certo certius vanissimum esse quod iactabatur. Noueram enim humanissimi Principis ingenium, quanta constantia foueat amicos quos semel complecti instituit, quamque grauate submoueat quenquam 15 a suo fauore, etiam si quid erroris humani in illis deprehenderit. Rursus noueram Thome Mori synceritatem atque in rebus maximis pariter ac minimis gerendis dexteritatem, ac nusquam conniuere solitam eximiae cuiusdam prudentiae vigilantiam. Imo mihi beneuolus Regis erga Morum animus magis ex eo liquebat, quod 20 illum munere splendidissimo quidem illo, sed oneris ac periculi pleno, liberasset, quam quod tantum honoris detulerit. Quum enim illi eas clitellas detrectanti imponeret Rex, φιλόπατρις erat, sibi suoque regno consulebat: quum roganti adimeret, φιλόμωρον sese declarabat. Illic pietatis ac prudentiae laudem omnium applausu 25 promeruit, qui prouinciam multo difficultimam ei commiserit, quo non erat aliis in eo regno tanto oneri sustinendo magis idoneus:

2750. 1-2. clarissimum virum add. L. 21. illum MS.: eum L. 22. detulerat L. 27. non erat MS.: haud scio an sit L. oneri add. L.

2749. 1. prouerbium] See *Adag.* 2750. 3. alium nobilem] Sir Thomas Audley.

hic egregiam humanitatis laudem est assequutus, qui et de suo iudicio et de publicae vtilitatis respectu nonnihil concesserit amici
 30 precibus, tale quaerentis ociun, quale a suo Principe quondam impetravit Cassiodorus. Nec enim dubito quin Morus grauissimis adductus causis istam missionem a Rege flagitarit. Alioqui nec hic vnquam tam impudens erat futurus, vt tam cito rogaret exonerari, nec Rex tam facilis, vt ob quaslibet causationes preces
 35 illius fuerit auditurus.

Non ignorabat enim totius statum maxima ex parte pendere ex Cancellarii integritate, doctrina ac prudentia. Neque enim hic Cancellarius dicitur, vt apud nonnullas nationes, Secretarius; sed dignitas est regiae proxima: eoque prodeunti a dextris
 40 gestatur sceptrum aureum, in cuius fastigio est corona aurea imperialis, ad leuam liber: quorum altero summa sub Rege potestas, altero legum prudentia designatur. Est enim totius Britannice ditionis supremus iudex, ac Regis consiliique regii dexter, vt ita dixerim, oculus, ac dextra manus. Tam arduam functionem sa-
 45 pientissimus Princeps nequaquam credidisset inexplorato. Vix alius penitus inspicerat, aut impensis amabat raras ac pene diuinias illius ingenii dotes. Quin ipse Cardinalis Eboracensis, vir quecunque fuit hominis fortuna, non stupidus, quum perspiceret nullam superesse spem reditus ad dignitatem pristinam, asseue-
 50 rauit, in ea insula nullum esse tanto oneri parem praeter vnum Morum. Nec hoc erat fauoris aut benevolentiae suffragium. Cardinalis, dum viueret, Moro parum equus erat, eumque metuebat verius quam amabat. Nec diuersum erat populi iudicium. Itaque sicuti cum tanta totius regni gratulatione suscepit magistratum,
 55 quanta ante illum alias nemo, ita magno sapientum ac bonorum omnium moerore depositus. Deposuit autem omnium pulcherri-
 um promeritus elogium, neminem antea munus illud gessisse dexterius ac maiore cum aequitate. Et scis quam soleat esse querulum vulgus aduersus eos qui summum gerunt magistratum,
 60 praesertim primis annis: etiamsi harum rerum tibi facile fecero fidem si summorum virorum epistolas proferam, Regi, regno, sibi atque etiam mihi gestienti cum alacritate de suscepto honore gratulantes: rursus eorundem litteras deplorantes, reipublicae talem esse subductum iudicem, ac βουληφόρον, vt Homericō verbo
 65 abutar.

Neque vero dubito quin Rex insignem aliquem virum in Mori locum substituerit: qui mihi tamen prorsum ignotus est. Verum quod ad generis claritatem attinet, quam Thomas Morus, vt est ingenio plane philosophico, nec affectauit vnquam, nec iactauit;
 70 natus est Londini, in qua ciuitate multo omnium celeberrima natum et educatum esse, apud Anglos nonnulla nobilitatis pars habetur: dein ex patre neutiquam obscuero, iuris Britannici doctore, cui ordini apud Anglos summa est dignitas, et ex hoc pleraque illius insulae nobilitas fertur originem ducere. Huic ita successit

30-1. tale . . . Cassiodorus add. L. 36. enim add. L. 41. sub Rege add. L. 58. ac MS.: aut L. 60. praesertim primis annis add. L.
 61. L: proferantur MS. 65. L: abuta MS. 68. quam MS.: quod laudis genus L.

filius, vt parentem per se clarum omni genere decorum obscurarit, 75 tametsi nemo verius illustrat maiores suos, quam qui ad hunc obscurat modum.

Omitto nunc dignitatis titulos, quibus vterque, non exambito, nec empto fauore, sed spontaneo Regis iudicio decoratus est: nisi forte rebus in bello semel atque iterum strenue gestis arbitramur veram parari nobilitatem: egregiis autem in Rempublicam meritis, quae pacatis temporibus consilio praestantur potius quam armis, nihil deberi honoris. Militarem industriam quo melius habet Reipub. status hoc minus desiderat: horum vero qui doctrina, qui consilio, qui iurisprudentia excellunt, opera semper est Regibus 85 ac regnis necessaria belli iuxta ac pacis temporibus. Audimus scripturam mysticam loquentem, Per me Reges regnant. Atqui ea vox non est militiae, sed sapientiae, quae praestat ne bellum oriatur, aut si vitari non queat, efficit vt quam minimo Reip. malo geratur. Felicius autem est effugere bellum quam fortiter 90 gerere. Pax autem non potest esse diutina, aut si est, gignit corruptos hominum mores, nisi prudentium virorum consiliis gubernetur. Si Torquatus illustris factus est, quod hosti Gallo torquem detraxit, et clarus non erit, qui compluribus annis equum iudicem, fidelem consiliarium, praestitit patriae? At multo secus visum 95 est priscis Imperatoribus, qui assessoribus suis, legum prudentia claris, summos honores detulerunt. Quin et grammaticis, dialecticis, ac iuris professoribus qui per annos viginti specimen eruditioonis ac probitatis dedissent, eadem dignitatis insignia decreuerunt quibus ornabantur vicarii. Vicariorum autem dignitas aequabat 100 comitum ac ducum dignitatem. Testatur hoc Codicis liber duodecimus, titulo De Professoribus. At hodie non agnoscuntur pro nobilibus quibus non natuitas, sed Princeps, donat insignia—non improbarem si dicant, vendit. Caeterum quum Principis autoritate bene meritis de Republica decernitur honos, meo iudicio gemina 105 est nobilitas, quum ad virtutem omnis verae nobilitatis parentem accedit Principis autoritas: si requiritur antiquitas, magnificentius est nobilitatem promeruisse, quam a maioribus accepisse.

Verum hanc laudem scio apud Morum esse leuissimi momenti, qui mauult posteris suis pietatis amorem, quam insignium honorem relinquere. Porro, quod iactant de carceribus an verum sit nescio. Illud constat, virum natura mitissimum nulli fuisse molestum, qui monitus voluerit a sectarum contagio resipiscere. An isti postulant, vt summus tanti regni Iudex nullos habeat carceres? Odit ille seditiosa dogmata, quibus nunc misere concutitur orbis. 115 Hoc ille non dissimulat, nec cupit esse clam, sic addictus pietati vt, si in alterutram partem aliquantulum inclinet momentum, superstitioni quam impietati vicinior esse videatur. Illud tamen eximiae cuiusdam clementie satis magnum est argumentum, quod

82. quae L: quorum MS. 86. belli . . . temporibus add. L. 89. aut MS.: & L. 94. et om. L. 97. Quin . . . 108. accepisse L: Quin ipsi etiam Quintiliano rhetori ex Cesaram constitutione suus honos est habitus, quod per annos viginti Romanam iuuentutem ad bene dicendum instituisset. MS.

87. Per me] Prov. 8. 15.

9. 13. 8.

93. Torquatus] Livy 7. 10; Gellius

101. Codicis] Sc. Justiniani.

120 sub illo Cancellario nullus ob improbata dogmata capitis poenam dedit, quum in vtraque Germania Galliaque tam multi sint affecti suppicio. An non clementer odit impios qui, quum habeat ius occidendi, ita studet mederi vitiis vt homines ipsi sint incolumes? Num illud postulant, vt Regis vices gerens aduersus 125 Regis et Episcoporum sententiam faueat seditiosae nouitati? Fingamus illum non prorsus abhorruisse a nouis dogmatibus (quod longe secus est), tamen aut munus quod suscepereat erat deponendum, aut dissimulandus ille fauor.

Postremo, vt omittamus hic contentionem de dogmatibus, quis 130 nescit, quam multi leues ac seditiosi sub hac vmbra parati sint ad omnium scelerum licentiam, nisi gliscentem temeritatem cohibeat magistratum seueritas? Et indignantur hoc a summo regni Iudice factum in Anglia, quod in ciuitatibus quae religionem innouarunt, interdum facere cogitur senatus? Quod ni factum esset, 135 iamdudum pseudeuangelici, in cellas et in scrinia diuitum irrupissent, et papista fuisse quisquis haberet aliquid. At plurimorum tanta est audacia, tam effrenis malicia, vt ipsi quoque qui nouorum dogmatum sunt autores ac propugnatores, acriter in istos stringant calamum. Et supremum Angliae Iudicem volebant 140 connuere, donec impune talis colluuiies inundaret in regnum, et opibus et ingeniis et religione cum primis florens. Fieri potest vt verum sit et illud, in gratiam noui Cancellarii quosdam dimissos e carceribus, vel innoxios, vel ob leuiora crimina vinctos, quod ad conciliandum multitudinis fauorem in primo Regum aduentu 145 fieri solet. Idem opinor factum et Moro suspiciente magistratum. Sed quid agunt isti Triptolemi, qui tales serunt fabulas? An vt persuadeant, sectis ac sectarum fautoribus praesidium esse param apud Anglos? Atqui ex multorum haudquaquam leuum virorum ad me litteris liquet, Regem aliquanto minus aequum 150 esse nouis dogmatibus quam Episcopos aut sacerdotes. Nemo pius non optat ecclesiae mores emendatos: at nemo prudens existimat recipiendam rerum omnium confusionem.

Quum acceperisset Thomam Morum ad summam euctum dignitatem, quoniam mihi videbar ingenium illius ex diutina consuetudine aliqua ex parte perspectum habere, scripsi me publice Regi regnoque gratulari, priuatim ipsi nequaquam. Nunc autem ex animo gratulor, cui cum summa Principis gratia, cum totius gentis honorificentissimo testimonio mature contigerit a negotiorum ciuilium labyrinthis explicari, quod nec Scipioni Africano, 160 nec Magno Pompeio, nec M. Tullio datum est. Optauit Octauius Augustus imperii sarcinam deponere, non licuit. Nunc integra etiamnum estate Thomas Morus hoc vitae genus adeptus est cum

120. L: poenas MS.

126-7. quod . . . est add. L.

120. capit is poenam] In support of what Erasmus says see R. W. Chambers, *Thomas More*, p. 281. Chambers points out that under Audley, More's successor, there were 15 or 16 executions for heresy.

153. Quum acceperisset] Writing

three days after his appointment to the Chancellorship More said: 'Tu qui res humanas soles prudenter et sollerter expendere, fortunae meae fortasse misereberis'; Ep. 2228. 4-6.

155. scripsi] We have no letter from Erasmus to More later than Ep. 2211.

dignitate, ad quod ab adolescentia semper fuit propensus, vt cum suis, est enim *φιλόστρογος* vt si quis alias, libere salubribus studiis ac pietati vacaret. Extruxit ad flumen Thamysim haud procul 165 ab vrbe Londino, praetorium nec sordidum nec ad inuidiam vsque magnificum, commodum tamen: illuc agit cum intimo sodalitio, vxore, filio et nuru, tribus filiabus et totidem generis, vna cum nepotibus iam vndeclim. Vedit fauente Christo natos natorum, visurus et qui nascentur ab illis. Quum enim nemo sit inter illos 170 non florente etate, probabile est numerosam sobolem prouenturam. Quin ipse quoque possit adhuc esse multorum liberorum parens, nisi vxor iam pridem per etatem parere desiisset, quam duxit viduam, nec ex hac vlos sustulit liberos. Nam quos habet, ex priore suscepit, quam etiamnum puellam amisit cum aliquot 175 liberis. Hanc tamen licet sterilem, licet etate prouectam, non aliter amat fouetque quam si puella esset annorum quindecim. Vix alias viuit liberorum amantior, neque ille nescit discriminem inter anum et puellam: sed ea est ingenii commoditas, imo, vt melius dicam, ea est pietas ac prudentia, vt quicquid obuenerit 180 quod corrigi non possit, sic adamet, quasi nihil felicius potuisset obtingere. Dicas apud illum esse alteram Platonis Academiam. Sed contumeliam facio domui illius quum eam Platonis Academiae confero, in qua disputabatur de numeris ac figuris geometricis, interdum de virtutibus moralibus: hanc domum rectius dixeris 185 scholam ac gymnasium Christiane religionis. Nullus ac nulla illic est, non vacans liberalibus disciplinis ac frugiferae lectioni, tametsi praecipua primaque pietatis cura est. Nulla illuc rixa, nullum petulantius verbum auditur, nemo conspicitur ociosus. Ac tantam familie disciplinam vir ille non supercilie iurgiisue tuetur, sed 190 comitate ac benevolentia. In officio sunt omnes, sed adest alacritas, nec deest sobria hilaritas.

In templo vici extruxit sibi suisque commune sepulcrum, in quod transtulit ossa prioris vxoris, vsque adeo illi non placet vllum diuortium: paries habet tabulam testem fortunae atque 195 instituti illius, quam famulus meus ad verbum descripsit. Exemplar cum his litteris accipies. Video me fuisse loquaciorem, sed fabulari iuuat de amico apud amicum. Quod assidue concionando ad populum agis verum episcopum, bonis omnibus vehementer placet. Istud exemplum vtinam multos excitet imitatores. 200

Quae scribis de Regis Ferdinandi negotiis mihi fuere gratissima: ex his prooemiis bonam in spem vocor, fore vt optimi sanctissimi que Principis virtutibus aliquando fortuna respondeat. Vale.

27022751. FROM JULIUS PFLUG.

Gotha MS. Chart. A. 385, f. 104.

Zeitz.

4 January 1533.

[An original letter, probably autograph (in a volume of original letters, 2750. 187. ac frugiferae MS.: frugiferaeque L. 189. conspicitur L: videtur MS. 198. sed MS. bis, in duabus lineis.

2750. 169-70. natos . . . illis] Verg. which More himself enclosed a copy. A. 3. 98.

201. Quae scribis] Not extant.

195. tabulam] See Ep. 2831, with